

**Quaestio medico-chirurgica ... An ossa prope articulum fracta, post calli genesin, leni motu exercenda? / [Pierre Louis Marie Maloet].**

**Contributors**

Maloet, Pierre Louis Marie, 1730-1810.  
Helvétius, Jean Claude Adrien, 1685-1755.  
Université de Paris.

**Publication/Creation**

[Parisiis] : [Quillau], [1752]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/wseststa>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



# DEO OPTIMO MAX. UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI - PARÆ , ET S. LUCÆ  
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

## QUÆSTIO MEDICO - CHIRURGICA,

*QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,  
manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis decimâ-Octavâ  
mensis Aprilis, anno Domini M. DCC. LII.*

M. JOANNE-CLAUDIO-ADRIANO HELVETIUS,  
Regi à Sanctioribus Consiliis, Reginæ Medico Primario & Re-  
giæ Scientiarum Academiæ Socio, Doctore Medico, Præside.

*An Offi prope Articulum fracta, post Calli yiverw, leni motu exercenda?*

### I.

**N**A TURA M omnibus providentem, medentemque primariè morbis veteres agnoverunt Medici, confirmarunt recentiorum observationes. Hujus autem dogmatis nullum certius exhibetur specimen, quam in Chirurgicis, qui cùm oculis subjiciantur fidelibus, facilem manibus permittunt accessum. In his etenim sive corporis cuiusdam solidi vel fluidi præternaturalis noxas prævertere opus sit, illudque foras eliminare, sive partes discillas ac disruptas adunare, vel præter modum coalitas disjungere, aut extra morem auctas resecare, quis unquam his in artibus maximum & præcipuum naturæ locum denegaverit? Nec tamen idcirco quidquam Chirurgicam artem velle videamur, quæ ab antiquis inventa Medicis & sagaciter exculta, ab horum vestigia preventibus neotericis utiliter elaborata est, & ulteriùs perficietur. Si enim sola natura miracula aliquando absque artis ope edere visa fuerit, scimus etiam solos illius nisus inutiles persæpe fuisse, & multis in casibus industriæ manus auxilio destitutos salutarem non attigisse scopum. Quid igitur frugi præstare solet ars? Quinam suam confert symbolam? In eo totam esse rectè affirmaveris ut naturæ conatibus attentè & sagaciter consulens, iis semper & ubique faveat. Quantâ ergo solertiâ, quantâ sagacitate naturæ ordo sit investigandus, hinc vel maximè patet, ne scilicet inutili aut præpostera medicationis arte, irrita imò noxia reddantur illius conamina. Hoc porro

Iocum obtinet in fracturis, quarum cura varias expostulat methodos, pro indolis ac symptomatum diversitate. Periculosa eam esse speciem quæ prope articulum contingit nemo sanè diffitebitur, qui ab eâ metuendum articuli rigorem & motū amissionem agnoverit. Huic autem fracturæ speciei dicatam ηχειρότερ quis adstruet, nisi prius ossium naturam, crescendi modum, & calli γένεσιν apprimè noverit.

## I I.

**O**SSA, partes corporis durissimæ, solidissimæ, sensus expertes, cæterarum basis ac fulcimentum, non minus peculiarem sibi vindicant fabricam, ac cætera corporis organa. Horum substantiam constituunt lamellæ numerosæ aliæ aliis superpositæ quas numero plurimas observare licet in ossibus diu ab aere exsiccati. Hæ lamellæ texuntur fibris satis conspicuis quæ componuntur terreis partibus interposito glutine viscoso eoque indurato strictè adunatis. In ossibus verò longis, de quibus hic peculiariter sermo, quædam veniunt notanda. Pars media multò gracilior lamellis constat densissimis arctissimè junctis, unde maximum illius robur. Intus canalis est fermè cylindraceus tenui obvestitus membranâ, medullam in vesiculis asservatam continens. In ossis autem substantiâ inumerosi adsunt pori, iisque duplicitis generis, quos primùm descriptis Clopto Havers (a). Quidam enim secundum ossis longitudinem parallelo lamellis ossis ductu inter eas serpunt, dum alii his perpendiculariter lamellas osseas directè perforant. Sic per hujusmodi tortuosos anfractus oleum medullare omnibus sensim distribuitur ossium partibus, horumqne medendo ariditati fragilitatem avertit. Ubi verò à mediâ ossis parte recedunt lamellæ ossæ, tum laxius cohærent, nec jam se tangunt, versus latera expanduntur, fibras hinc & inde ad invicem mittunt, ex quibus nascuntur cellulæ plurimæ, subtili obductæ membranâ oleo medullari refertæ. In ossum capitibus textum illud spongiosum paulo densiori obducitur osseâ crustulâ, in cuius externâ superficie cavitates & eminentiæ quædam aspiciuntur ad articulationis usum efformatae. In ipsomet autem articulo, præter capsulam articuli, cartilagines intermedias, & ligamenta quædam quæ alicubi occurunt, nonnullæ aspiciuntur glandulæ à Cloptone Havers (b) primum detectæ. Tenuem hæ glandulæ secernunt mucilaginem quæ cum oleo medullari poros osseos penetrante permixta ossum superficies lubricat & à fervore per attritum oriundo defendit. Est etiam peculiare ossibus involucrum quod proprio nomine Perosteum vocant. Membrana est crassa valida, tendineæ indolis, exquisiti sensus, in plures dividenda lamellas. Polita ipsi est exterior superficies: interior verò quæ externæ ossum superficie arctè hæret, sulcos habet à prominentibus ossum fibris excavatos. Fibrarum quibus componitur fasciculis non eadem est directio: sed aliæ longitudinem ossis servant, aliæ obliquis in omnem sensum ductibus mirè intertexuntur, quod fit maximè quâ parte tendines & ligamenta ossibus inseruntur. Nec solam medianam ossum partem involvit hæc membrana sed etiam ligamentorum capsulam investit, & ipsamet articuli cartilago quædam videtur esse periostei expansio. Sic in rachiticis quâ parte præter naturam sese tangunt ossa, ibi album, durum, densum, uno verbo verè cartilagineum efficitur periosteum (c).

## I I I.

**O**SSIUM originem obscura premit caligo. Neque enim facile explicandum qua ratione ex pulpâ molli & mucilaginosâ partes adeò densæ provenerint. Scimus duntaxat cartilagineas prius suisse, nec nisi successivis indurationis gradibus tantam adeptas esse soliditatem. Sic nempe in tenerrimo embryone vix quidquam osseum deprehenditur; sed ubique molles & flexiles occurunt cartilagines. At verò certiora nobis præludent circâ ossum accretionem. Eam à solo periosteo repetendam esse invenit D. Duhamel, & pulcherrimis comprobavit experimentis (d). Si enim animalium, gallorum v. g. gallinaceorum cibo permisceas *Rubia Tinctorum* radicem (cti singularis inest proprietas ossibus rubrum impertiri colorem) & dein iisdem per paucos dies absque rubiâ solitam concedas escam, sicque sèpius repetendo, in horum dissectis cadaveribus ossa plures ostendent lamellas rubro & albo colore alternatim distinctas. In junioribus etiam sèpissimè ob-

(a) Obs. de  
oss. ferm. 1.  
cap. 4. §. 34.

(b) Ibid. ser.  
cap. 1.

(c) Vid.  
D. Duhamel  
loc. infra cir.

(d) Vid. Mon.  
Ac. Reg. Par.  
anno. 1741.  
1743.

servare licet in quibusdam partibus, ac præcipuè in costis lamellis periostei alterâ parte membraneas, alterâ osseas. Has si vi ab ossis corpore extrahere velis, avellentur simul osseæ fibræ plurimæ cum membraneis omnino continuæ. Verum quidem est primis à nativitate temporibus medullosum dilatari canalem (cujus expansionis & tempus & normam vid. apud laud. Auct.) quod fieri sanè nequit nisi ab admisso in ossearum fibra rum adhucdum mollium interstii succo nutritio; sed brevi debitam acquirit diametrum; certissimumque nihilominus est ossa præcipuam ab appositis successivè periostei laminis acquisivisse crassitatem.

Quâ verò mechanicâ ossea pars effingitur, eâdem lœsa reparatur. Simul ac ruptum est os, statim inflammatur periosteum ut pote exquisitissimo donatum sensu; multum tume fiunt & attolluntur ipsius laminæ; indurantur, cartilagineam adipiscuntur indolem; tandemque osseæ penitus factæ ossium fractas partes firmant ac stringunt. Si namque fracta olim ossa per longitudinem serrâ divisoris, in plurimis sæpius invenies hian tem adhuc in medio ossis rimam circulo osseo exteriori cooperatam. Quod si in quibusdam haud adeò certum remanet fracturæ vestigium, ne idcirco succi nutritii effusionem accuses. Tenues etenim fibræ ab externo periosteo propagatae & cum similibus ab interno pariter ortis conjunctæ spatiolum exsiccatione suâ prorsus replerunt. Hinc patet quâm verùm sit Divi senis effatum, licet à plerisque recentioribus ex plorum fuerit, ubi disseatum fuerit os.... neque augetur neque coalescit (b), quod aperi tius declarat Galenus \*.

(b) Aprioris  
Sect. VI. 19.  
& Sect. VII. 28.

### I V.

**FRACTURAM** quæ propè articulum contingit, funestum sortiri exitum tristis loquitur experientia, docet ratiocinium. Licet enim callus hâc in parte non difficilius firmaretur ac in cæteris, licet omnibus prospexit Medici sagacitas, Chirurgi industria, brevè tamen dum perfecta ossis consolidatio beare vota videbitur, pejor aderit morbus, nempe articuli rigor & immobilitas, seu *ankylosis*. Irritato enim periosteо in eo loco ubi fracturæ directe superjacet, debuit necessariò, non ibi tantum, sed & in vicinis inflammari partibus. Cùm ergo osseus evaserit qui fracturam proximè ambit periostei circulus, jam adeò induratae erunt vicinæ partes, ut omnem articuli capsulam constringendo illius motum impedian. Extensionem etiam mem bri prohibebunt musculi ab irritatione tendinum contracti \*\*. Aliunde verò viscosus ille liquor à glandulis mucilagineis secretus ex morâ nimiam adeptus spissitudinem lubricandis articuli superficiebus erit inhabilis. Quin & erit periculum ne exsiccatione suâ extrema ossium prorsus consolideret. Quisnam ergo expectari poterit motus ab aridis & proprio rore defraudatis articuli capsulâ & ligamentis, cùm tota funesta ob jificantur impedimenta? Hæc proinde removere morâ omni rejectâ sedulò curet Medicus. Statim igitur atque firmatus fuerit callus, huc respiciat omnis curatio, ut leniantur irritatae partes, exsiccatæ & indurari inchoatae humectentur & emoliantur, resolvantur autem & discutiantur humorum stagnationes. Has indicationes explebunt fomenta cum aquâ tepidâ, oleis emollientibus & paululum aromaticis. Utiliter etiam adhibebuntur adipes & unguenta nervina. At verò ut efficaciū hæc agant remedia, leni motu sollicitandum erit in articulo membrum. Quemadmodum enim longa quies quæ ad calli firmitatem requirebatur, rigorem in articulo ex parte procreavit, ita huic tollendo motu placido nil præstantius. Hujus ut & prædictorum emollientium protracto usu, indurata periostei membrana sensim relaxabitur, minùsque articulum

\* Videre autem licet in aliis animalibus comminuta ossa non omnino coalescere .... si quando invenies, invenies autem sæpè, quemadmodum & nos, fracturæ oras callo inter se glutinatas, ubi hoc tibi curæ sit, callum deradens conspicies fracturæ oras se contingere, non tamen coaluisse solidataque esse eo modo, quo in vulneribus glutinata caro coalescit. Gal. Comm. I. ad lib. Hipp. de Frac. Chart. Tom. XII. Text. 51.

\*\* A contractis musculis tibiæ post morbum acu-

tum, ankylosis spuriae quamdam speciem observavit PATER meus optimus, in quâ flexæ tibiae rigens articulus ægro, sive dum staret, sive dum ambularet fulcris innixus, multò magis cum extendi cogere tur membrum, dolores procreabat adeò atroces, ut jam ad femoris resectionem, tamquam spem unicam, sese accingerent manu peritiores. Sanavit hominem balneo, emollientibus & aromatis. Vid. Mon. Ac. Reg. Par. an. 1728.

4

à liberâ motione prohibebit. Leniti pariter & emolliti tendines docilius extensionem admittent. Diluetur etiam & fluxilis reddetur quæ inspissari jam cœperat mucilago. Inungendis ossium superficiebus aptior evadet, aut si peccet copiâ ab hiantibus venârum osculis facilius excipietur. Tenuissimæ autem illæ mucilagineæ glandulæ à longiori membra quiete compressæ feréque obstructæ sua liberius subibunt munia, sanguinem uberiùs affluentem combibent, mucusum liquorem majori secernent copiâ, unde major ad motum habilitas. Quod si his frustra tentatis, tamen ad vota non succederet curatio, confugiendum erit ad Aquas Thermales, quales præ cæteris excellunt Barregianæ. In his quotidie & diu detinenda erit affecta pars; in usum vocabuntur utilissimè harum *Ducia*, ut & lutorum applicatio. At simul leniter huc illuc flectendo rigida pars agitabitur; sic enim cætera remedia majori pollebunt virtute, sic melius ligamentorum relaxationem metiri & obtainere poteris.

V

(4) Hipp.  
Aphorit. sect.  
p. 52.

**A**T, inquies, ab illo motu ingens imminet periculum, ne scilicet nocivus pro vocetur dolor, irritentur graviter coactâ extensione tendines, recens firmatus rumpatur callus. Sed quis hæc arcesset mala, nisi rudis & male cautus? Non enim prescribimus ut durâ tractatione ac violento impetu flectatur aut extendatur subitò membrum. Sensim assuefacienda est natura remedio, (4) quod, enim, paulatim fit, tutum est. Minimè proinde errabit qui membrum placidè & lento gradu circumrotabit. Parva primis diebus sufficiet extensio; sequentibus verò absque periculo augebitur. Ne quid præterea recens firmatum os rumpi periclitetur, vetant emollientia & nervina medicamina, quibus assidue duratam partem ungi volumus; emollitæ enim & lubricatæ partes longè facilius obedient motui. Sic ab horum medicaminum utili consortio, longè major singulorum efficacia. Objici forsan poterit inopportunam esse morbi cum jam invaluerit curationem, eam præstare quæ principiis obstat medelam, neque ad præoccupandam ankylosem expectandum esse donec firmatus fuerit callus. Utinam sanè adeò efficax daretur Medicina! Fatemur quidem ab initio curationis utiliter adhiberi posse prædicta emollientia; sed hæc ad præveniendam ankylosen parum valere quotidiana docet experientia. Quid igitur? An membrum statim post fracturam movere non dubites? Sed brevi dissipient ossis fragmenta non sine magno dolore rursus componenda, præter modum inflammabitur periosteum jam à fracturâ irritatum, distrahitur cum acri molestiâ tendines, longa mora necetur ossis consolidationi. Tutius itaque est in eodem situ fractum os servare, ut firmior habeatur callus; & si qua in articulo succedit nullâ arte vitanda ankylosis, postquam os omnino conferbuerit præscriptis remediis curare.

*Ergo Ossa prope Articulum fracta, post Calli venientem, leni motu exercenda.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATUR.

<i>M. Anna-Carolus Lorry.</i>	<i>M. Dionysius Pantier de Labrenville.</i>	<i>M. Claudius - Carolus de Jean.</i>
<i>M. Bernardus-Nicolaus Bertrand, Scholarum Professor designatus.</i>	<i>M. Jacobus - Laurentius Mauroy.</i>	<i>M. Franciscus-Felicitas Cochua.</i>
<i>M. Stephanus - Ludovicus Geoffroy.</i>	<i>M. Natalis-Andreas-Jannes-Baptista Cheyneau.</i>	<i>M. Joannes de Dieft.</i>

Proponebat Parisiis PETRUS-LUDOVICUS-MARIA MALOËT, Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor,  
A. R. S. H. 1752, A SEXTA AD MERIDIEM.